



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

circumvallantium, diu stare in iustitiâ, & æquitate; aut si progrediendum sit inter tot & tanta præcipitia, per mediam & arctam virtutis viam, non declinando neque ad dexteram, neque ad sinistram, sic currere, ut comprehendas terminum Christianæ perfectionis.

§. I V.

QUæ cum ita esse, extra dubium sit; tanto majori veneratione, & dilectione digni sunt, qui in folio Regio, à Deo collocati, ut omnibus præluceant exemplo Regalium virtutum; Sanctitatem, & sapientiam, suæ supremæ potentiaë sic conjungunt, ut cum summam habeant, in temporalibus potestatem; illâ non utantur, nisi secundum Leges veræ sapientiaë, & sanctitatis: videlicet ad protectionem Ecclesiæ militantis contra inimicos Religionis Christianæ, Catholicæ Romanæ; ad propagationem gloriaë Nominis JESU in gentibus: ad firmamentum iustitiæ in suis omnibus ditionibus; ad fovendam

amicitiam cum vicinis populis: ad terrorem iniquorum, & laudem ac remunerationem bonorum; ad solatium, refrigerium, & auxilium, ac bonum universale subditorum, quos diligere debent paterno affectu, fovere in gremio potentiae, illis datae à Deo, non ad destructionem, sed ad aedificationem omnium; ut cum illis, per legitimum usum temporalium bonorum, per obedientiam legi Dei, Ecclesiae Christi, & maximi Pastoris Gregis Dominici decretis: ut probos filios decet, transeant ad aeternum regnum, Regis Regum JESU CHRISTI; siquidem illius sanctitatem, justitiam, sapientiam, bonitatem & Regales virtutes, illi praeceteris aemulari debent, qui majori supra caeteros potestate sublimius exaltatos se vident: ut sicut soles mystici, in firmamento Ecclesiae militantis, Solis justitiae motum sequantur; à quo omnia sidera Coeli lucem suam mutuantur: qui ergo ab ejus lumine se substraxerint, cadent in obscurum; sicut cecidit de Caelo Lucifer, cum Angelis suis, Deo Creatori suo rebellibus, &

non est amplius inventus in Cœlo locus eorum: sed omnes cum Principe suo demersi sunt in profundum abissi. Sic sequitur, & persequitur superbos ultor Deus omnipotens; & dorsum eorum incurvat, qui caput suum exaltare præsumebant, super astra Cœli, & esse similes Altissimo, in gloriâ, quam alteri non dabit. Sic omnis qui se exaltat contra Deum, humiliabitur à Deo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: quia magna potentia Dei solius, & in humilibus honoratur. Potentes omnes ergo, suâ potentiâ abutentes, potenter tormenta patientur; quippè nulla est potentia, nulla sapientia contra Dominum: ipsi vindicta & ille retribuet. Durum est contra stimulum Omnipotentis calcitrare, & durissimum iudicium fiet iis qui non secundùm Dei leges iudicant. Deum ergo omnium supremum Dominum & iudicem summum, summè timeant qui in terris timentur ab omnibus. Mihi vindicta & ego retribuam, dicit Dominus omnipotens, qui iustitias iudicabit, sine acceptione personarum.

Igitur Apostolicis ordinationibus

obtemperantes, offeramus Sanctissimæ
 Triadi spirituales victimas; Sacrificium
 incruentum Agni, per preces arden-
 tes, charitatis igne accensas, pro om-
 nibus hominibus: in primis pro Re-
 gibus & Principibus Christianis, ut
 uno animorum consensu, sub uno vi-
 sibili Ecclesiæ militantis Capite; com-
 munem Christiani Nominis hostem
 oppugnent: & unanimiter perseve-
 rent, in unâ Ecclesiâ, Catholicâ, A-
 postolicâ, Romanâ; quæ bene fun-
 data est ab ipso Christo supra firmam
 unitatis, & charitatis Petram, contra
 quam superbæ inferorum portæ non
 prævalebunt: cujus primum, & im-
 mobile fundamentum, est ipsemet
 Deus-Homo, Apostolorum, & Pro-
 phetarum, Lapis angularis, omnia in
 seipso uniens, atque ipsius Apostolicæ
 Sedis firmitas immobilis. Obsecro igitur
 primum omnium, inquit, Aposto-
 lus Paulus, Doctor gentium, & Dux
 exercituum Christi, fieri obsecratio-
 nes, orationes, postulationes, gra-
 tiarum actiones, pro omnibus homi-
 nibus; pro Regibus, & pro omnibus
 qui in sublimitate sunt: ut quietam &

tranquillam vitam agamus, in omni
pietate & castitate: hoc enim bonum
est, & acceptum, coram Salvatore
nostro Deo, qui omnes homines vult
salvos fieri, & ad agnitionem veritatis
venire; unus enim Deus, unus me-
diator Dei & hominum, Homo Chri-
stus JESUS, qui dedit Redemptio-
nem semetipsum pro omnibus. 1.
Tim. 2.

